Aviam feci, agnovit propensam viri eruditi voluntatem, omni et Nassauiorum, et Auriacorum favore dignam esse, neque obscurè professa est ubi aliquando ad umbilicum perductus ille labor luci publicæ exponetur, curæ sibi futurum, ut et nomine Nepotis sui, quâ par est humanitate excipiatur. De Schedis quod occœpi dicere Princeps Illustrissime nihil est, quod inveniri Cl. Lentulo magnoperè intersit, præter ipsum librum Commentarium, quem de rebus a sè et suo ductu gestis Princeps Fredericus Henricus suâ manû ~~posteris~~ exaratum posteris reliquit. Enimverò aureum illud volumen est: neque Iuliano postponendum: Ejus tamen ut adhuc cuiquam copia fiat, non arbitror impetrari posse. Premendum hactenus, non unâ de causâ judicavit Princeps longè prudentissima. neque se ab instituto dimoveri passa est multorum votis et obtestationibus sollicitata, inde ab excessu Principis Mariti.

Cessabunt certè causæ, quas dixi, et erit, Deo volente cum exorari sese sinet, cujus nunc in sinu latet Cimelium nulli non pretiosissimo æquiparandum; Id beneficium aliquando si impetramus, habebunt, herculè, scriptores Rerum Belgicarum, quo suas singuli lucubrationes, ad limam revocent et incudem. Ego verò de re incertâ nihil assero, de me meisque Tibi Princeps Illustrissime, omnia obnixè polliceor, et quâ decet animi submissâ veneratione defero dico dedicoque

Cels: T. ad humillima obsequia devotissimus.

28: Ian 1654
qu: 21 Dec. 1653

Westerbanio. (438).

Ecce quaterniones tui, Vir Nobilissime postridiè quam avelli ab amicâ potuere. Id nimirum heri accidit, et sub octavam vespertinam. Habes unde augurium capias de benevolentiâ lectorum. Ipse ego pleraque percurri, omnia me variè nunc districtum fateor non perlegisse, nec

quid

quid moræ injicerem, dum urgeris prælo currente. Supersunt
enim, et passim quidem quæ et Typographi industriam
et ipsum te correctorem menda fugisse secundis curis obser-
vaturus es. De sæculo satis sic te securum video, adeo vix
ullâ circuitione usus scapham plerumque scapham nomi-
nas. Tute videris. terra malos homines nunc educat,
et moroso ingenio. De autore Vitaulij, quæ totis modis
intergecisti, ne attingere quidem audeo. nedum ut adstipu-
lari credas, Verbis, si me nosti, a veritate perquam
alienis, quibus tibi tamen agitare venam placuit, ut
quid posses ibi maximè doceres ubi causa deficeret et
argumentum, qua nostra nimirum isthæc sacra tractan-
tium facetæ ambitiuncula est. Gallico sermone nuper
quæ vides lusi ad pulcherrimam Slavatam, incliyti Ordinis
Lætitiæ magistram. Addo et responsum elegantissimæ
mulieris statim ad me remissum, in quo si artem
desideras, naturæ genium amplecteris meâ quidem senten-
tia, multa laude dignum. Hujusmodi nugis si te
capi sentiam, penum offero quo vel canina fames satie-
tur. Vale Vir, amice, et has chartulas ubi perspexeris
quæso ad me redire sinito. Hagæ VI. Kal: Mart: CIƆIƆCLIV.

Tuus &c.

Westerbanio. (439)

De Penu Gallico quod receperam, Vir Nobilissime plus quam
bonâ fide præsto: vix est enim ut bonam dixeris, quæ tam
immensâ te mole malarum mercium obruit. Voluisti
hoc tamen, neque nunc gravaberis idem hoc audire quo
se in campis Æmathijs ergà Cives suos Cæsar excusavit.
Schedas hasce, quas soli tibi legendas exhiberi meminisse
te velim lectas aut non lectas, propediem domum expec-
tabo, ut eo in carcere recondantur, unde neque exprimi
merebantur, nisi tu cum Cive Romano hoc voluisses.
Vale et me ama. Hagæ Com: Postrid: id: Mart: 1654.

De Ribesiis per amicitiam traditis
probis et fertilibus, procul dubio, ut
tua solent, gratias ago steriles et non probas,
ut ipse soleo. Tu quidem Vir humanissime
illâ fideliâ duos dealbasti. Abiit enim
Antverpiam munus tuum, ad amicos istarum
rerum apprimè studiosos.

Westerbanio

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fols. 156v-157r
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5332